

impediatur, et ideo ad conandum operari non datur concursus præter conservationem naturalis virtutis; in homine vero vel animali conatus ad operandum solet esse motus et applicatio localis propriorum membrorum, et ita est quædam quasi immanens operatio, ad quam concursus requiritur. Quando ergo causa naturalis impeditur a sua operatione, habet quidem concursum ad operandum quasi in actu primo præparatum, et oblatum ex parte Dei, non tamen ei datur in actu secundo propter impedimentum. Neque hoc est contra efficaciam divini concursus, vel imperfectionem divinæ providentiæ, nam sapienti consilio et voluntate Dei offertur concursus tantum sub ea conditione et limitatione, quia ad convenientem ordinem universi ita expedit.

*Tertium caput argumentorum, ex naturali insufficientia liberi arbitrii ad opera gratiæ.* — Ultimum hujus sententiæ fundamentum confici potest, ex eo quod voluntas nostra per se et natura sua est insufficientis ad actus supernaturales eliciendos, et ideo necesse est ut per auxilium prævium et motionem Dei antecedentem præmoveatur a Deo ad hujusmodi actus. Unde saltem respectu talium actuum, necessarium est ut auxilium Dei sit non tantum concursus in effectum, sed etiam motio prævia in causam, quæ sit principium subsequenti actus, et similiter in eisdem actibus determinatio causæ secundæ a prima, id est voluntatis humanæ a Deo ut auctore gratiæ, præcedat talem actionem voluntatis, quia de se voluntas ad talem actionem est non solum indifferens positive, ut sic dicam, et active, id est, per eminentem virtutem sufficientem ad utramque partem, sed etiam est indifferens negative et passive, quia est imperfecta ad operandum in tali ordine, apta tamen ut in illo perfici et elevari possit; ergo saltem in ordine gratiæ est necessaria illa motio prævia per auxilium efficax. Ad hoc vero fundamentum respondemus, concedendo totum id quod assumitur, et negando hanc ultimam consequentiam in eo sensu quo inferitur consequens, de motione per se et natura sua efficaciter prædeterminante voluntatem ad unum; hoc enim non sequitur ex toto illo antecedenti, sed solum sequitur necessarium esse ut voluntas, priusquam supernaturaliter operetur, recipiat a Deo principium aliquod superioris ordinis per quod elevetur et accipiat virtutem sufficientem ad operandum in illo ordine. Et quoad hoc necessarius est prævius

influxus in causam; sed, secundum fidem, datur per illuminationes prævias et inspirationes, non vero per motionem efficaciter prædeterminantem. Unde voluntas post receptum talem influxum prævium supernaturalem est quidem sufficiens principium proximum supernaturalium operationum, adhuc tamen manet indifferens, nec determinatur ad unum in actu primo, sed solum in actu secundo per liberam operationem. Quocirca nunquam voluntas indifferens prædeterminatur ad unum quoad exercitium vel specificationem actus ex vi talis præviæ motionis, sed voluntas quæ de se erat indifferens quasi negative ad tales actus (juxta modum loquendi arguentis), fit, per tale auxilium prævium, indifferens positive, et cum sufficientia virtutis ad talem actionem recipit etiam propensionem vel inclinationem ad illam, atque adeo determinationem sufficientem, id est, quantum est ex parte motionis, si voluntas cooperari velit, non tamen ita efficacem, ut omnino determinetur ad operandum. Ultra autem hanc motionem, ut sequatur actio, non est necessaria alia prævia motio in ipsa causa, nec prædeterminatio quæ tollit indifferentiam perfectam in actu primo, sed sufficit actuale auxilium simultaneum et concomitans, quod præsto est homini volenti operari, actu vero non datur sine libera cooperatione.

*Instantia.* — Sed instatur secundo, quia totum hoc auxilium prævium, prout in argumento præcedenti explicatum est, solum est auxilium de se sufficiens, quod potest frustrari et impedi ab operando per liberum arbitrium; ergo ut voluntas actu operetur supernaturaliter, ultra illud auxilium, necessarium est aliud quod sit efficax et infallibiliter habeat operationem. Neque enim satisfaciet qui dixerit illud auxilium sufficiens fieri efficax per solum concomitans et cooperationem liberi arbitrii, primo quia alias liberum arbitrium faceret efficacem præviam motionem Dei, quod est valde absurdum, alioqui jam haberet homo unde gloriaretur; secundo, quia alias omnis motio divinæ gratiæ, ut antecedit ordine naturæ et causalitatis liberam hominis cooperationem, esset imperfecta, quod est ponere imperfectionem in Deo. Tertio, qui alias prius esset influxus liberi arbitrii quam efficaciam auxilii, cum auxilium dicitur fieri efficax per influxum liberi arbitrii; ergo initium salutis est a libero arbitrio, imo et consensus ipse erit causatus a libero arbitrio, et non a Deo. Quarto, quia alias sequi-

tur cum æquali auxilio et motione divina unum converti ex innata libertate, et non alium ex eadem libertate. Quinto, inde etiam fit hominem se discernere suo libero arbitrio, quia per illud facit auxilium efficax, in quo est discretio; nam in auxilio sufficiente esse potest æqualitas inter eos quorum alter convertitur et alter non convertitur. Sexto, juxta hunc modum, facile esset reddere rationem quare Deus hunc trahat, et illum non trahat, scilicet, quia hic vult et ille non vult; quod est satis alienum a mente Augustini, dicentis: *Cur hunc trahat, et illum non trahat, noli judicare, si non vis errare*; imo, a sententia Pauli aientis: *Non est volentis, neque currentis, sed Dei miserentis*. Septimo, quia alias homo faceret in se donum perseverantiæ; nam illud maxime consistit in auxilio efficaci; homo autem facit ut auxilium sit efficax; ergo facit in se perseverantiæ donum, quod repugnat, cum ab ipso dono perseverantiæ habeat homo bonum usum liberi arbitrii quo actus perseverat. Octavo ac præcipue, quia, juxta illam sententiam, tollitur divina prædestinatio; quia si in Deo ponitur prædestinatio, necessarium est ut dari etiam possit auxilium efficax ex parte Dei, quo ita præveniat et regat voluntatem, ut infallibiliter illam perducat ad illud bonum ad quod illam prædestinavit, salva hominis libertate, quod prædestinato dari non poterit, quod repugnat Scripturis et Patribus; vel saltem sequitur non dari prædestinationem nec discretionem inter prædestinatum et reprobum in mente Dei, nisi ex præscientia boni usus liberi arbitrii, quod etiam est absurdum. Et sequela patet, quia prima discretio inter prædestinatum et reprobum est in consensu, nam ante in vocatione sunt æquales; sed quod hic consentiat, et non ille, est ex libero arbitrio; ergo primus effectus prædestinationis est ex libero arbitrio; ergo simpliciter prædestinatio est ex bono usu liberi arbitrii, nam ex sententia omnium Theologorum, si ex parte nostra datur causa primi effectus prædestinationis, absolute datur causa prædestinationis.

*Respondetur.* — Respondemus ad principale argumentum, concedendo imprimis auxilium præveniens ordinis gratiæ, quod necessarium est ex parte ipsius voluntatis, prius saltem natura quam supernaturaliter operetur, de se et natura sua solum esse sufficiens, et efficax in actu primo, id est, efficacis virtutis, quantum est ex se, ad operandum cum libero ar-

bitrio, ut ipsum velit, non tamen ad determinandum illud ut necessario operetur, quia efficacitas illius auxilii est potentialis, ut sic dicam, et per se solam non satis est, sed indiget consortio et influxu liberi arbitrii, et quia datur juxta modum ejus, ab illo participat indifferentiam in operando, ideoque non affert secum determinationem voluntatis ad unum, quæ sit prævia ad ejus actionem; unde ut tale auxilium exeat in actum, et hoc modo denominetur efficax, id est, actu efficiens, necessarium est aliud auxilium actuale Dei quo talis efficaciam exerceatur, nam illa efficaciam aliquid novum est ultra præveniens auxilium; ergo necesse est ut fiat ex novo influxu Dei ejusdem supernaturalis ordinis; hujusmodi autem auxilium, quod ultra præveniens necessarium est, non est iterum præveniens, sed tantum concomitans per modum supernaturalis concursus seu gratiæ actualiter adjuvantis, et ita nullo titulo necessaria est illa motio prædeterminans, etiam in operibus gratiæ.

*Illatio.* — Atque hinc nonnulli ex nostris auctoribus inferunt et concedunt auxilium præveniens, præcise sumptum, non esse auxilium efficax, sed tantum sufficiens, sed esse efficax quatenus conjungitur auxilio concomitanti, seu, quod perinde est, quatenus actu efficit, quamvis actu non efficiat sine cooperatione liberi arbitrii, quæ sententia, esto fortasse vera non sit, nec consentanea modo loquendi Augustini, non est tamen censura digna, nec omnino improbabilis, nec probationes omnes in illo argumento adductæ magni momenti sunt contra illam, ultima excepta, illasque facile dissolvemus, ne sententiæ nostræ præjudicium aliquod afferre possint. Ad primam ergo negatur sequela, nimirum liberum arbitrium facere efficacem motionem Dei; duplex enim efficaciam intelligi potest in divina motione: una virtualis, seu in actu primo, ita ut esse efficacem nihil aliud sit quam esse effectivam, et hanc efficaciam habet talis motio, effective quidem a solo Deo, formaliter autem ab intrinseca entitate sua, sicut habitus charitatis est efficax supernaturalium actuum ex vi suæ entitatis, et ita in hac acceptione clarum est motionem Dei non habere efficaciam a libero arbitrio. Secundo vero modo potest dici motio efficax in actu secundo, id est, actu efficiens, et sic formaliter denominatur efficax ab actione quæ ab illa procedit, et quatenus ab illa procedit; formaliter ergo denominatur efficax a

supernaturali actione, quæ habet rationem auxilii concomitantis, et quia illa actio manat a prævia motione divina, ideo radicaliter seu effective habet motio illam efficaciam a sua intrinseca virtute, a qua manat talis actio. Quapropter etiam hoc modo non fit motio prævia Dei efficax a libero arbitrio, quia nec effective nec formaliter recipit ab illo talem denominationem, et quamvis una et eadem actio sit a libero arbitrio, et prævia motione Dei, attamen in illa intelligitur duplex habitudo, una ad liberum arbitrium, et altera ad principium gratiæ; et secundum hanc posteriorem complet auxilium gratiæ in ratione efficacis, non secundum priorem, et ideo, formaliter et proprie loquendo, non fit auxilium efficax a libero arbitrio, quamvis non sit actu efficax sine cooperatione liberi arbitrii, quod longe diversum est. Nam per hæc verba solum significatur concomitantia in agendo, quæ revera inter has causas invenitur, non vero significatur efficientia liberi arbitrii in ipsam motionem gratiæ, quæ significatur per illa verba, quæ propterea falsum significant, quod nullo modo infertur ex prædicta sententia; et in idem redit quod alii dicunt, influxum liberi arbitrii esse conditionem necessariam, ut auxilium sufficiens fiat efficax, non tamen esse causam efficaciam ejus. Sed instant, quia vel illa conditio se tenet ex parte effectus, et sic non obstat quominus liberum arbitrium sit causa talis efficaciam, vel se tenet ex parte causæ, et sic erit applicans auxilium divinum ad operandum, quod est absurdum, tum quia esset prior; tum etiam quia illa applicatio est quædam actio ad quam est necessarium auxilium Dei. Respondetur illam conditionem se tenere ex parte concausæ ad eandem actionem. Neque inde sequitur liberum arbitrium applicare auxilium; quæ est enim apparentia aut verisimilitudo hujus illationis? sed sequitur liberum arbitrium simul operari cum auxilio. Alia vero efficaciam, quam adversarii fingunt in prævia motione Dei, determinandi ad unum, et ad exercitium actus, voluntatem, vel formaliter, vel effective ex sua intrinseca natura et vi, nos fictam esse putamus, et contrariam suavitati gratiæ, quæ libertatem non impedit, et ideo neque a libero arbitrio, nec aliunde habet prævia motio Dei talem efficaciam. An vero motio prævia possit alio modo denominari efficax, et unde id habeat, infra dicam.

Ad secundam, in qua infertur præviam

motionem Dei esse imperfectam, et hoc redundare in ipsius Dei imperfectionem, respondetur negando utramque partem, nam imprimis, licet motio esset imperfecta, non propterea Deus esset imperfectus, quia illa imperfectio non est ex impotentia Dei, sed aut ex voluntate, quia non vult dare majorem perfectionem, quia non tenetur, vel potius illa imperfectio est ex ipsa creatura, quæ a Deo habet quidquid perfectionis est, carentiam autem majoris perfectionis habet ex se. Deinde illa motio non potest dici imperfecta privative, habet enim quidquid juxta naturam talis motionis, quod est ut sine læsione libertatis trahat voluntatem, habere debet; si autem solum negativè dicatur imperfecta, eo modo quodlibet ens creatum imperfectum dici potest, quatenus non habet omnem vel majorem perfectionem. Adde vero non posse etiam hoc modo imperfectam appellari, solum quia non movet determinando ad unum, quia hæc vis respectu liberi arbitrii non esset perfectio, quia violaret illud, et impediret usum ejus, et ideo negatio ejus non potest dici imperfectio. Quod, si talis motio daretur, esset motio necessitans, quæ, comparata ad motionem gratiæ, quæ suaviter inclinatur et inducit salva libertate, videtur quidem in hoc genere efficaciam habere majorem perfectionem, tamen simpliciter esse minus perfectam, præsertim quoad modum agendi, et in ordine ad actus morales, quales esse debent actus a gratia procedentes.

Respondetur ad tertiam rationem adversariæ sententiæ. — Ad tertiam, qua infertur prius esse influxum liberi arbitrii quam efficaciam auxilii, negatur etiam sequela, quia non potest liberum arbitrium influere nec in tempore, nec in ullo priori naturæ, sine influxu prævenientis gratiæ, et ita solum sequitur gratiam non esse efficacem priusquam liberum arbitrium consentiat, quod dicti auctores facile concedunt, quia licet auxilium non habeat efficaciam actualem a libero arbitrio, illam tamen non habet sine cooperatione ipsius. Neque inde sequitur initium salutis esse ex nobis, quia initium salutis est ex motione prævenientis gratiæ, quæ non est ex nobis; solum ergo sequitur consummationem salutis, vel dispositionem ad illam, non esse sine nobis, quod verissimum est. Multo vero minus sequitur consensum fieri a voluntate sola sine influxu gratiæ et concursu Dei, ut auctoris ejus, quia non solum consensus supernaturalis, sed etiam determina-

tio ad illum (quacumque ratione ab illo distinguatur) non fit sine actuali influxu gratiæ, ut sæpe dictum est.

Respondetur ad quartam. — Cabezudo, dict. quæst. 2, concl. 3, circa finem. — Ad quartam, in qua ut inconveniens infertur cum æquali auxilio Dei posse unum converti et alium resistere, distinguendum est de auxilio, vel præveniente tantum, vel etiam concomitante. De priori conceditur sequela ab iis auctoribus, qui non solum non reputant consequens esse inconveniens, sed etiam esse necessarium, ut auxilium sufficiens vere, et non tantum nomine sit sufficiens, et ut usus libertatis sit verus, et non de solo titulo. Si autem consequens intelligatur de omni auxilio, etiam concomitante, sic negatur sequela, quia, licet is, qui convertitur, pro sua libertate convertatur, non tamen pro sola illa, sed cum auxilio concomitantis gratiæ, quod non recipit is qui non convertitur; contra quam partem instat præcedens auctor, quia jam simpliciter loquendo, qui convertitur, habet majus auxilium; sed hoc solum est in verbis insistere, nos enim libenter id admittimus, intellectum ratione auxilii concomitantis, quod est in hominis potestate, supposito præveniente, et ideo illa inæqualitas non tollit sufficientiam auxilii, nec usum libertatis. Unde majoris claritatis gratia addimus duo: unum est de auxilio præveniente ut sic; nam licet in illis duobus hominibus possit esse æquale in ratione auxilii vel motionis, tamen in ratione beneficii vel gratiæ semper excedit in eo in quo habet effectum, quia congruo modo seu opportuno tempore datur. Aliud est de auxilio concomitante, quod, licet in re ipsa actu detur ei qui operatur et non alteri, tamen ex parte Dei utrique offertur, et qui illud actu non recipit, sua voluntate non recipit, et ita ex parte Dei servatur etiam in hoc quædam æqualitas, quæ ut sic pertinet potius ad actum primum quam ad actum secundum, estque necessaria ad veram sufficientiam prævenientis auxilii, et verum usum libertatis.

Et per hanc observationem expediuntur facillime rationes aliæ quas attingam, ne videantur omisæ; brevissime tamen, quia vel idem inculcant aliis verbis, vel lævissimæ sunt. Una est: nam qui recipit auxilium sufficiens, solum recipit potentiam; ergo ut habeat actum indiget efficaciam, alias esset in homine aliquis actus non productus a Deo. Quod quidem argumentum probat bene præ-

ter auxilium sufficiens necessarium esse actualem concursum Dei, et influxum gratiæ concomitantis, quod sit in potestate hominis habere, quia ex parte Dei offertur, si per hominem non steterit; hoc enim necessarium est ut prius illud præveniens auxilium sufficiens sit, et ideo non est eadem ratio de alio auxilio præveniente, in quo solo sit efficaciam, et non sit in potestate hominis habere illud. Non ergo probat ratio illa esse necessarium novum auxilium præveniens et præmovens cum efficaciam, quia sine hoc potentia illa, quæ datur per auxilium sufficiens, potest reduci in actum cum auxilio concomitante, quod semper est efficax, et sufficit cum generali concursu gratiæ, ut nullus actus sit in homine, qui non sit specialiter et immediate a Deo. Alia ratio est quia, si Deus non præmoveret hominem per auxilium efficax, ergo liberum arbitrium non præventum a Deo consentit. Sed est vana illatio, quia liberum arbitrium satis est præventum a Deo per auxilium sufficiens; solum ergo sequitur liberum arbitrium non prædeterminatum a Deo consentire, quod nos libenter concedimus, imo pro hac veritate pugnamus. Denique argumentatur, quia saltem sequitur primariam rationem, ob quam Petrus, verbi gratia, justificatur potius quam Paulus, esse liberum arbitrium, quod est absurdum; quia sic Petrus haberet unde gloriaretur, quod nimirum se discerneret a Paulo. Sed respondemus illa comparatione duo includi: unum est quod Paulus non convertatur, et ex hac parte totum fundamentum disparitatis seu discretionis est liberum arbitrium Pauli nolentis operari; aliud est quod Petrus convertatur, et ex hac parte etiam liberum arbitrium cooperatur ad disparitatem et discretionem, quia revera illa conversio libera est, principaliter tamen est a gratia operante et cooperante, et ideo Paulus habet unde confundatur, Petrus vero non habet unde in se, sed in Domino gloriatur.

Ad quintam probationem. — Unde ad quintam probationem principalem, qua infertur hominem se discernere contra Paulum, respondetur duplicem intelligi posse discretionem: anam in intentione et prædestinatione, et hanc esse ex sola voluntate Dei, ut infra dicam, et de illa posset intelligi illud Pauli: *Quis enim te discernit?* quamvis ille locus alias habeat expositiones, ut alibi dixi. Alia vero est discretio in executione ac in re ipsa, quæ in hoc consistit quod ex duobus æquali-